

ut gratiam ineat sine suo dispendio et mihi prosit? 795
 30 nam si est ut haec nunc Pamphilum vere ab se segregarit,
 scit sibi nobilitatem ex eo et rem natam et gloriam esse:
 referet gratiam ei unaque nos sibi opera amicos iunget.

iii PARMENO BACCHIS

PA. Edepol ne meam erus esse operam deputat parvi preti,
 qui ob rem nullam misit frustra ubi totum desedi diem, 800
 Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem.
 itaque ineptus hodie dūm illi sedeo, ut quisque venerat,
 5 accedebam: "adulescens, dicdum quaeso mi, es tu My-
 conius?"
 "non sum." "at Callidemides?" "non." "hospitem ec-
 quem Pamphilum
 hic habes?" omnes negabant: neque eum quemquam esse 805
 arbitror.
 denique hercle iam pudebat: abii. sed quid Bacchidem
 ab nostro adfine exeuntem video? quid huic hic est rei?
 10 *BA.* Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pam-
 philum.
PA. quid eo? *BA.* dic me orare ut veniat. *PA.* ad te?
BA. immo ad Philumenam.
PA. quid rei est? *BA.* tuā quod nil refert percontari 810
 desinas.
PA. nil aliud dicam? *BA.* etiam: cognosse anulum illum
 Myrrinam
 gnatae suae fuisse quem ipse olim mi dederat. *PA.* scio.
 15 tantumne est? *BA.* tantum: aderit continuo hoc ubi ex
 te audi(v)erit.